



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxliv [i.e. v]. Motus resilientiæ est ab impulsu, partim impresso à
projiciente, parti, ab obsistente, partim à gravitate impulsu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

IV. Moventur projecta ab impulsu, qui est qualitas facilè mobilis à propellente corpori impressa; in eo distincta à gravitate & levitate, quòd non tantùm sursum vel deorsum, sed in omnem partem impellat; in primo fieri dependens à propellente, in cōservari à solo deo, quandoq; producta cū motu locali, aliquando sine illo, ut dum lapis quietè jacēs in mēsa imprimit illi impulsu deorsum. Ratio est, quia motus durat projiciente cessante à projectione: & incredibile est, globos tam grandes tanta velocitate moveri contra naturalem gravitatem, à solo aëre simul moto & diviso, dein allapsu suo corpus mobile propellente. Neq; hinc sequitur, motum projectorum fore naturalem, eò quòd sit à principio illis intrinseco, quia illud movetur motu naturali, quod movetur à principio intrinseco, quod ipsum mobili est connaturale.

V. Motus resilientiæ est ab impulsu corpori impresso, partim à projiciente, partim à corpore obistente, partim ab ipsiusmet mobilis gravitate deprimente; horū enim aliquo mutato, mutatur ipsa resilientia; aliter enim resilient pila ferrea, aliter lanæa, aliter magno impetu projecta, aliter naturaliter cadens, aliter ca-

dens

cadens in lapidem, aliter cadens in lignum vel terrā. Nec obstat, quòd hic motus resilientiæ corpori gravi sit violētus, a deoq; esse nō possit ab ejus gravitate; nā est à gravitate tanquā à principio inadæquato & per accidens, non verò per se, seu intendente istam resilientiam.

VI. Tarditas & velocitas motus bene explicātur per ordinem ad idem tempus & spatium, ita, ut ille motus dicatur velocior, qui intra idē tempus decurrit plures partes spatii; ille tardior, qui intra idem tempus decurrit pauciores partes spatii. Velocitas motus naturalis in fine major inde est, quòd impetus illius producat a gravitate, quod principium manet, & augetur ab aëre incūbente fortius. Tarditas motus violēti in fine major est, quia gravitas & aër obstitēs magis illum paulatim debilitāt. Velocitas verò motus violēti in medio major, quàm in initio (ut patet in globis tormentariis fortius quatentibus mænia, si passibus aliquot ab iis distent tormēta, quàm si omninò iis sint vicina) verisimilius inde est, quod parti post partē imprimatur impulsus, ita, ut paulatim omnes partes habeant impressum impulsu intēsiorem, quem omnes statim sub initium non habebant; & dicitur